



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TANJUNGSELORENSIS*** IN INDONESIA NOVA
CONDITUR DIOECESIS TANJUNGSELORENSIS Ad aptius consulendum evangelizationis operi in Indonesia visum est
ibidem novam constituere dioecesim. Quapropter Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa
auditisque pariter eorum quorum interest votis, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui
gravissimo fungimur munere Pastoris et Patris universi populi Dei, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica
potestate haec decernimus. A Samarindaënsi dioecesi separamus partem orientalis territorii ex eaque novam condimus
dioecesim *Tanjungselorensis*, quam metropolitanae Sedi Pontianakensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni
Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus cuiusque limites iidem erunt ac fines districtuum civilium qui
patrio sermone Bulungan et Berau nuncupantur. Praeterea iubemus Episcopi cathedram poni in urbis "Tanjung Selor"
templo Sanctae Mariae Assumptae dicato, quod ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum
canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Laurentius Fratini,
Archiepiscopus titulo Botrianensis atque in Indonesia Apostolicus Nuntius; qui, re acta, curabit documenta exaranda
sincerisque exemplis memoratae Congregationi mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum
ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo
secundo mensis Decembris, anno Domini bis millesimo primo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

Secretarius Status

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 5, p. 316 © Copyright 2001 - Libreria Editrice Vaticana